

CONCIO V.

PERFECTIO CHRISTIANA QUIBUS IN REBUS POTISSIMUM
CONSISTAT.

I. Consistit in conatu faciendi plusquam præceptum est. — II. In evitacione venialium etiam peccatorum. — III. In vitiorum strenua expugnatione. — IV. In contemptu rerum temporalium.

THEMA.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Matth. VII.

Vidimus ante octiduum parvulos non censi in numero electorum; magnos esse debere et perfectos, qui intrare volunt in regnum caelorum. Qui vero illi magni? Qui perfecti? Id nobis exponit Christus in hodierno evangelio, dicens: *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum caelorum; et: Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ait alibi, (Matth. XII.) ipse meus frater, et soror, et mater est; si frater, soror et mater Christi, utique magnus et perfectus est: rursus, Matth. V. Christus dicit: Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est; si ergo ejus voluntatem fecerimus, utique et ipsi perfecti erimus, utpote ei conformes. Videndum ergo quibus in rebus Dei voluntas facienda sit.*

I. Voluntas Dei Patris est, ut conemur facere plusquam nobis mandatum est, adeoque etiam observare multa, quæ consilii tantum sunt. Id enim attestatur apost. I. Thess. IV. *Sic ambuletis ut abundetis magis. Hæc enim voluntas Dei, sanctificatio vestra.* S. Chrys. et Theoph. sic explicant: « Ut abundetis magis, i. e. inquit, ut aliquid supra mandatum cupiatis facere, ut imperata superetis. Quemadmodum enim terra non ea solum semina quæ accipit, reddit et profert; sic animus non debet in præceptis consistere, sed etiam ea transcendere. » Hujus autem rei duas video causas.

Primo, nisi plusquam præceptum est, vel quæ præcepta sunt, perfectius facere conemur, etiam ea quæ præcepta sunt, facile omitemus: sicut facile impinget navis in scopulum aut litus, si prope ei adhaereat; non facile si ab eo longe recedat. Monuerat angelus Lothum e Sodomis profugientem, ut in monte, qui imminebat oppido Segor, se salvaret, Gen. XIX. *Salva animam tuam nec stes in omni circum regione, sed in monte salvum te fac.* At vero Loth senex metuens viribus suis, ne vapores essent ascensui: *Non possum, inquit, in monte savari. Est civitas (Segor) hæc juxta, ad quam possum fugere, parva; et salvabor in ea.* Verum ubi ex illa vidit vicinas quatuor civitates terribili flamma consumi, timens ne in Segor parvum tutus esset, ipse mox ultro

profugit in montem, velut locum multo securiorem. Suadet Deus omnibus, imo præcipit, ut si salvi esse velimus, ad montem perfectionis ascendamus, nec præcise in iis, quæ præcepta sunt, sistamus, quia parum secure habitat, qui non longe se a tentatione et hoste separat. Multi vero eum Loth in valle ad radicem montis hæere volunt, solis insistendo præceptis. Sed parva ibi securitas: magna vero in monte perfectionis. Qui enim nil, nisi quod præceptum est, agere vult, indicat se etiam illud quod debet, ægre et difficulter agere, adeoque facile permoveri posse, ut et illud intermittat. E contra, qui plus quam debet faciat, aut conatur facere, remotior est a lapsu: non enim facile negliget sacrum die festo qui quotidie audit sacrum; communionem in paschate qui singulis mensibus communicat; non sumit vindictam qui bene facit inimico. Deinde, minori difficultate observabit præcepta. Qui enim assuevit ambulare in ocreis, multo levius postea ambulabit in calceis.

Secundo, nisi plus quam præcipitur facere conemur. Pigros valde ac tepidos Dei servos esse nos ostendimus, non secus ac servus ille, qui priusquam heri imperata faceret, tabellam suam inspiciebat, utrum ipsius officium in tabella consignatum esset. Talibus potissimum ait Dominus, Luc. XVII. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Quia servi inutilis sumus; fecimus quod debuimus.* Ac si dicat, inquit S. Bernardus, tract. de præcepto et dispens. « Si solis contenti istis præceptis et traditionibus impositæ legis, et non sponte etiam perfectionis vos consiliis et suasionibus mancipatis, liberi quidem estis a debito, sed non pro merito gloriosi: evasistis pœnam, sed non accepistis coronam. » Suis regis boves, singuli, quotidie centum cados aquæ in hortos minus rîguos hauriunt, et hoc quidem non difficile, labori huic diu assueti: verum ut alterum supra dictum numerum hauriant cadum, nullis nec verberibus, nec blanditiis induci possunt, teste Eliano, l. VII. animal. c. VII. Existimare posset aliquis numerare eos posse, aut tabellam arithmeticam inspicere, ut plus solito non laborent. Boves dixeris potius quam homines, qui in gratiam Dei creatoris et redemptoris sui, a quo tam liberaliter habentur et redempti sunt, nihilo plus facere volunt, quam eis injunctum est.

II. Voluntas Dei Patris est, ut non solum gravia peccata seu mortifera, sed etiam levia ac venialia pro viribus vitare studeamus. Ita enim legimus, Prov. VII. *Fili serva mandata mea, et legem meam ut pupillam oculi tui.* Quis autem nescit pupillam oculi mei offendi levissimo etiam

actu et pulvisculo, qui in eum inciderit, ideoque a natura bene communitum, a nobis etiam sedulo custodiri. Vult igitur Deus adeo exacte servari legem, ut eam etiam levioribus in rebus transgredi vereamur. Unde S. Ambros. l. V. hexa. c. IV. de hac pupilla loquens ait: « Quia innocentia et integritas levi sorde violatur, et gratiæ suæ mundus amittitur, et ideo perspiciendum est, ne quis eam pulvis erroris oblimet, aut vexet festuca peccati. » Sentit ergo conscientia integritatem a minimis etiam defectibus vexari et affligi. Vexatur autem, quia si dedita opera ei studiose committantur, relinquunt post se amaritudinem quamdam et remorsum, ac si apis suum infixisset aculeum, et pacem animi infestant. Sensit hunc aculeum David, quando Sauli persecutori suo in spelunca repto, cum vitam adimere posset, oram chlamydis tantum absceidit. Mox enim: *Percussit cor suum David*, h. e. Davidem, ut habent Septuaginta: *Percussit cor suum.* Ecce ob tam levem offensunculam statim vexatur oculus Davidis, l. Reg. XXIV. Ac quemadmodum oculus pulvisculo vexatus, fundere lacrymas cogitur; ita etiam leviuscula peccata deflenda, et suis penis sive in purgatorio expianda sunt. Scimus enim multos ob talia errata morte plexos esse, velut uxorem Loth, Ozam, Moysen et Aaron, et Aaronis filios: S. Hilarium ob unam in oratione distractionem a dæmone flagellatum: multos etiam in purgatorio vel ob unum veniale detentos: Isaias lamentatur ob leve suum peccatum, quod Oziam non correxerit: *Væ mihi quia tacui!* inquit Isa. VI. S. Mart. ob errorem unum ex obreptione admissum sensit sibi imminutam vim expellendi dæmones, ideoque multis lacrymis eum deplanxit: Augustinus ita deflet veniales noxas, ut alii gravissimas. Denique, sicut oculus pulvisculo vel minima musca turbatur, et videndi vigore destituitur; sic qui venialia admittunt, lumine gratiarum non exiguo privantur: unde David, Ps. VI. ait: *Turbatus est a furore oculus meus* (Hieron. *caligavit præ amaritudine*): et Ps. III. *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.*

III. Voluntas Dei Patris est, ut contra vitia et pravas affectiones nostras pro viribus pugnemus, ac tametsi interdum succubamus, mox tamen resurgere studeamus et prælium redintegremus. Sic præcepit Paulus Timotheo: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*, II. Tim. II. Non ait: *Vince*, sed: *Labora*, Gr. *mala sustine.* Quemadmodum enim dux exercitus missus ab imperatore ad reprimentum hostem, satisfaciens imperatori, et præclarus miles audiet, si præstet quantum potest, nunquam non infestet hostem, et machi-

nationibus ejus occurrat, strenueque pugnet; et si forte aliquando succubuerit, mox vires restituet et animum resumat, ac novis copiis hostem adoriatur: ita et nos voluntati Dei satisfactionem dabimus, bonique milites erimus, si pro viribus nostris fortiter certemus contra hostes animæ: ac licet interdum superemur, recolligamus vires ad denuo pugnandum. Tali miles utique bonus et perfectus, qui ab ipso Deo laudatus fuit Job, qui, c. XIV. ait: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Militavit ergo Job, et quidem toto vitæ tempore, nunc contra sapientem dæmonem, nunc contra insultantem uxorem, nunc contra obtrectantes amicos, et licet in paucis et exiguis quibusdam conflictibus succubuerit ac leviter peccarit, (ut docet Salmeron, prolegom. X. can. XXIV.) perfectus tamen miles fuit, quia mox resurgere laboravit, uti fatetur ipse, cap. XXXIX. *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem.* Quod unum illud? Verbum illud, quo dixerat gravius se punitum, quam suorum peccatorum reatus exigeret: et, c. XLII. *Idcirco me ipse reprehendo in favilla et cinere.* Hinc S. Gregorius in Cant. *Tota pulchra es*, ait: « Dum sancta anima a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit et a majoribus se observat, quævis frequenter peccet; per assiduum tamen pœnitentiam munditiam suam assiduo servat. » Sane Deus Jobum dilaudavit coram dæmone velut strenuum militem, et quasi in eo gloriatus est: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra? Mundus ergo censetur, qui assidue mundat et vestes suas: sic et perfectus esse censetur qui semper se perficit. Et hoc voluit Deus, cum Deut. XVIII. præcepit: *Perfectus eris, etc.* Nam absolute perfectum esse et sine omni macula, non est hujus, sed alterius vitæ in cælo. Semper enim Jebusæus inter Judæos degit, et concupiscentia vivit in membris nostris, quæ domari quidem potest, extirpari omnino non potest, Judic. I.*

IV. Voluntas Dei Patris est, ut bonis temporalibus non adhæreamus, sed ea potius contemnamus velut fluxa et inania. Ita enim præcepit, Ps. LXXI. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* In quem locum S. Basilius ait: *Illud divitiæ si affluant, nolite cor apponere, te monet ut ne animo erga illas afficiaris, sed ad usum tuum sume necessaria.*

Quomodo cor non apponendum? Primo, sicut rebus mutuo acceptis nemo apponit nomen aut insignia sua. Unde Bias dicebat: *Fortunam, pecunias divitibus dedisse non dono, sed mutuo: quia quos modo evehit, cito iterum deprimit.* Jam qui mutuo quid acceperunt, in primis ea non

amant, quia ut aliena aspiciunt. Deinde, caute iis utuntur, quia de restitutione cogitant sibi facienda non sine difficultate.

Secundo, cor non apponendum, sicut in fundo, qui ex inundatione tibi advenit, domum tibi non ædificas: timendum enim, ne proxima inundatione rursum tibi auferatur.

Tertio, cor non apponendum, eo modo, quo Remises rex Ægypti obeliscum altissimum erecturus per artificem filium suum alligavit cacumini, quasi pluris obeliscum æstimaret, quam filium, Plin. l. XXXVI. c. IX. Hoc agit qui divitias ita amat, ut, iis cadentibus, ipse quoque cadat in fletum, indignationem, desperationem, blasphemiam, etc.

Quarto, cor non apponendum: sicut rapido flumini nos non committimus, cum aliquod refrigerium inde percipere volumus, sed, in ripa sedentes, pedes solum immergimus et manus ad lavandum, ut mox cum volumus eas retrahere possimus. Uti iis licet ad necessitatem et commoditatem nostram; immergere se iis per amorem non licet, nisi perire velimus. Ita Seneca, qui dixit: *Rebus hujus sæculi non me trado, sed commodo: et a me fortuna illas abstulit*

non avulsit. Quæ commodantur repeti possunt ad libitum, non quæ donantur. Quæ radices egerunt, præsertim altas difficulter evelluntur: sic et divitiæ, si cui fortiter adhærent, cum dolore et difficultate amittuntur: non ita quæ non adhærent. Barucam, seu capillum ficatium sine dolore abjicis, naturalem absque dolore tibi non evelles. Notum arbitror id quod in vita S. Antonii de Padua legitur, eum in exequiis cujusdam usurarii concionaturum, thema id sumpsisse: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Sub concione dixit inter alia: *Mortuus est hic dives, et sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus, et in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato.* Abierunt homines propinqui, et cor adhuc calidum in medio nummorum invenerunt, Surius, 13. jun. Quid videtur vobis de isto? Nonne cor suum apposuit, imò affixit nummis? Ad thesaurum quidem inclusit, sed e caelo exclusit.

Vidimus quæ sit voluntas Dei, quæ ratio perfectionis christianæ. Superest jam ut crescamus in viros perfectos, ne forte cum parvulis parvulli reperti, in censum electorum minime veniamus.

INDEX CONCIONUM

SECUNDÆ PARTIS ÆSTIVALIS.

DOMINICA I. POST PASCHA.

| | |
|--|----|
| 1. De triplici pace | 2 |
| 2. Christus cur toties in medio | 6 |
| 3. Cur retinuerit Christus quinque vulnerum citatrices | 8 |
| 4. Quomodo credendum | 12 |
| 5. Media ad conservandam fidem | 15 |
| 6. Fructus exercitii de omnipræsencia Dei | 18 |
| 7. Præstantia et dignitas muneris sacerdotalis | 22 |
| 8. Documenta moralia ex evangelio | 25 |
| 9. Mystera evangelii seu catechesis | 28 |

AUCTARIUM.

| | |
|---|----|
| 1. Cur stemus ad orationem tempore paschali | 31 |
| 2. Cur insufflavimus in discipulos Dominus | 34 |
| 3. Cordis pax quomodo paranda | 37 |
| 4. Potestas remittendi peccata, ovum aureum | 40 |
| 5. Signa resuscitatorum secundum animam | 43 |

DOMINICA II. POST PASCHA.

| | |
|--|----|
| 1. De officio magistratus et subditorum erga se mutuo | 46 |
| 2. Damnatur inobedientia et rebellio contra superiores | 50 |
| 3. Principum et magistratum præcipuæ virtutes | 52 |
| 4. De observantia, qua colendi sunt sacerdotes, magistratus, senes | 56 |
| 5. Pastor sui ipsius quomodo quisque esse debeat | 59 |
| 6. Signa ovium Christi seu prædestinatorum | 62 |
| 7. Signa reprobationis | 66 |
| 8. Documenta evangelicæ | 69 |
| 9. Mystera | 72 |

AUCTARIUM.

| | |
|---|----|
| Quanta providentia nutriat Deus genus humanum | 77 |
|---|----|

| | |
|--|----|
| 2. Quam bonus pastor Christus sit | 81 |
| 3. Christiani sunt oves | 84 |
| 4. Oves Christi quomodo cognoscant pastorem suum | 88 |
| 5. Quas ob causas Christus dare pro suis ovibus animam suam voluerit | 91 |

DOMINICA III. POST PASCHA.

| | |
|--|-----|
| 1. Omnia in mundo modica, etiam quæ videntur magna | 95 |
| 2. Septem modica bene consideranda | 100 |
| 3. Vocula modicum, quam varie consolatur justos, terreat malos | 102 |
| 4. Quam modicum sit gaudium malorum in hoc sæculo | 105 |
| 5. De modico tribulationis, seu modicum esse quod nunc patimur | 108 |
| 6. Solidum ac jure piorum gaudium in quo consistat | 111 |
| 7. Non esse vane lætandum in mundo sed plorandum potius | 114 |
| 8. Documenta | 118 |
| 9. Mystera | 121 |

AUCTARIUM.

| | |
|--|-----|
| 1. Quando parentes gaudere possint de filiis | 124 |
| 2. Quando parentes non gaudeant de liberis suis, sed contristentur | 126 |
| 3. Partus mulieris morti non absimilis | 129 |
| 4. Non spernenda modica, e quibus nascuntur sæpe magna | 133 |
| 5. Justos cur subinde Deus ad modicum deserat, et qui requirendus | 137 |

DOMINICA IV. POST PASCHA.

| | |
|---|-----|
| 1. Injurie in Spiritum sanctum quadruplices | 142 |
| 2. Quatuor munia Spiritus sancti | 146 |
| 3. Itinera aliquot bene præcogitanda | 149 |
| 4. Quatuor deplorandi Christi discessus | 153 |
| 5. De mortis via præmeditanda | 158 |
| 6. Qua ratione diabolus doceat omnem falsitatem | 162 |